

errores eorum corriguntur et castigantur a dominis. Et quomodo, o serve, tibi placeret, si forte ægrotus a domino destituereris et foras in plateas ejicereris? Nonne in cælum vocem attolleres, et Deum vindicem invocares? Audi querelam ægri cujusdam servi Ægyptii, qui ob ægritudinem in agro derelictus a domino, per triduum neque panem viderat neque aquam; inventus tandem a servis David, et rogatus unde esset: *Puer Ægyptius*, inquit, *ego sum, servus viri Amalecitarum: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cepi nudius tertius*, I. Reg. XXX. At qui longe major crudelitas est, si cum sis perversus, non argueris a domino, ad mortem enim æternam pergis, corvis tartareis præda futurus. Quare si negligeret te in eo statu dominus, in inferno ei maledicturus esses.

III. Domini sint quasi tutores, et curatores servorum suorum pro ipsorum vita et necessitatibus solliciti, exemplo centurionis, qui ad Christum veniens, afflictionem servi magno commiserationis sensu exposuit. Huc pertinet, quod apostolus I. Timoth. V. ait: *Si quis suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Peccat enim non tantum contra legem christianam, sed etiam contra legem naturalem, quam infideles, uti centurio noster, observarunt, præcipientem, ut bene merita remunerentur. Bestiam igitur, non hominem dicere oportebit, qui Pharaonis instar servos atterit laboribus, et renumerat flagellis. Nec male dixerit aliquis similem vel etiam deteriorem crocodilo, qui teste Plinio, libro VIII. capite XXV. Heliodoro, Æliano, Solino, et aliis, cum lingua careat, ac proinde ad expurgandos dentes et fauces alieno obsequio indigeat, trochili aviculæ, quæ aliis regulus dicitur, opera ad hoc utitur aperto ore hians, et dum rostro ejus perpurgatur a ciborum reliquiis et fæcibus ori adhærentibus, suaviter obdormit: nihil aliud rependens tam fidæ aviculæ, quam fetidas illas gutturis reliquias, et si merces vocari potest, vitæ impunitatem. Quam tamen ingratitude non impune fert; siquidem ichneumon, mus Indicus a quibusdam vocatus, beneficio illius trochili crocodilum sopientis, in ejusdem fauces insilit et intestina illius, uterum denique ipsum rodendo perrumpens, bestiam occidit. Ad eundem modum inhumani quidam domini, licet opera servorum indigeant, et utantur ad sordidissima quævis obsequia, parum tamen aut nihil eis rependunt, nisi forte vilissimas ciborum reliquias et quasi fæces; quandoque etiam pro beneficio haberi volunt, si quos non omnino confecerint. Sed aderit aliquando pitor ichneumon aliquis, qui pauperum labores

in perniciem eorum vertet. Ni fallor; ita evenit Ægyptio illi hero, qui servum supradictum deseruit corvis aliisque in prædam. Indicio enim et ductu illius servi David ad locum pervenit, ubi herusille cum sociis prædonibus morabatur: quorum plerosque occidit et reliquos in fugam egit, prædamque illorum omnem abstulit, I. Regum XXX. Non remanent inultæ commissæ in servos injuriæ, sed clamor eorum intrat in aures Domini Sabaoth, eumque in ultionem adducit.

Habent vero vicissim servi, quod muneri suo attendant, et justa appellationem suam vere serviant. *Non ad oculum servientes*, inquit apostolus Ephes. VI. *quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi. Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino*. Sciebat nimirum apostolus multos esse ejusmodi servos, qui tantum ad oculum serviunt, et quamdiu videntur ab hero, laborant: ipso dorsum vertente, otiantur, nugantur, fabulantur. Sed vellem isti servirent, sicut monet Sanctus Chrysostomus, hom. XXII. in epist. ad Ephes. ad oculum Dei, qui labores eorum et otia videt, ac suo tempore ponderabit paratoque pretio persolvat. Quod si oculus hominis calcare addere laboranti potest, quanto magis oculus Dei? Satis est aliquibus, quod mercedem accipiant, non curantes, quomodo eam meruerint. Legant isti quid acciderit servo Elisæi Giezi, IV. Regum V. Cum enim is clam domino suo, munera exigeret a Naamane (quem a lepra curaverat Elisæus) contra domini sui voluntatem, putans id dominum suum latere, vix domum redierat, subito a domino audivit: *Unde venis Giezi?* Et ille: *Non ixit servus tuus quoquam*. At ille: *Nonne cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, etc. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix*, inquit Scriptura. Quod si oculus hominis præsens fuit, cum servus absens infideliter contra dominum suum egit, latere putatis, servi, oculos Dei, quæ perfide agitis et inique accipitis? Et accipiunt quidem aliqui mercedem, quam non meruere, sed quemadmodum Giezi cum argento lepram, et Judas cum buccella accepit diabolum: ita et servi iniqui cum mercede accipiunt lepram peccati et diabolum in carnificem: a quo et dominos et servos, nosque cum illis omnes servare dignetur Deus

## CONCIO II.

VOLUNTATEM NOSTRAM CUM DIVINA CONFORMANDAM.

I. Quia est potentissima. — II. Quia rectissima. — III. Quia benignissima.

## THEMA.

*Domine si vis, potes me mundare*. Matth. VIII.

Pulcherrimum et utilissimum documentum in hodierno evangelio tradit nobis leprosus, qua ratione scilicet voluntatem nostram conformare cum divina per omnia debeamus. *Domine si vis*, inquit, *potes me mundare*; quasi dicat: Si tu vis, volo; si non vis, nolo. Vidit nimirum iste primo quidem Christum nulla ratione cogi posse: ejus ergo voluntati viam pandit. Vidit deinde, se nescire an æqua foret petitio sua, scire autem hoc Christum. Vidit denique incertum esse, an expediret sibi a lepra mundari, Christo soli comperit esse. Ergo sapienter ait: *Domine, si vis*; ideoque mox auditus, quod petiit, impetravit. Hujus ergo leprosi scholam hodie frequentemus.

Sponsa sancta, dum a capite ad calcem commendat sponsum, inter alia de ejus pedibus inquit Cantic. cap. V. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*. Pedibus fertur, quo vult, corpus; et voluntate anima. Voluntas autem Dei duplex est, antecedens et consequens; illa non considerat hominum merita: hæc vero maxime. Rursum alia voluntas signi, qua præcipit quid velit: alia beneplaciti, qua absolute facit, quod vult. Denique alia immissiva, qua immittit pœnas: alia permissiva, qua permittit culpas seu peccata. Notat ergo sponsa in illis verbis tres conditiones voluntatis divinæ, propter quas ei nostram merito conformare debemus.

I. Quia voluntas Dei est potentissima: nulla enim ratione a nobis mutari, subterfugi vel eludi potest. Ideo pedes ejus marmorei dicuntur, quia potentissimo gressu ambulat et omnia sibi cedere facit, alioquin obvia quæque obterit vel elidit. Hoc sua ad Deum oratione expressit Mardocheus, cum ait: *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditone enim tui cuncta sunt posita, et non est, qui tua possit resistere voluntati*, Esth. c. XIII. Quare primo, cum tibi afflictio aliqua venit, sive ab hominibus, sive a creaturis aliis, quam evitare nequis, cogita eam non aliunde, quam a Deo proficisci, cui resistere impossibile sit, adeoque æquo animo tolerandam. Ita fecit Joseph, Genes. c. L. qui fratribus veniam sceleris in eum com-

missi petentibus respondit: *Nolite timere num; Dei possumus resistere voluntati?* q. d. Deus voluit peccatum vestrum permittere, et ordinare primo, ad meam humiliationem, deinde, ad meam exaltationem. Neutri voluntati resistere potuimus (proprie loquendo) non igitur hoc vos perturbet. Sic apud Eviratum, in prato spir. abbas quidam, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara apposuit, dissimulavit rem. Gustans postea discipulus ex iisdem, errorem agnovit et veniam appetiit; cui abbas: *Voluntas*, inquit, *Dei fuit, ut talia mihi apponeres; si enim Deus aliud voluisset, effecisset ut alia proponeres*. Quæ dementia est, potius velle trahi, quam sequi? Quando quis ab apparitoribus armatis ad judicem evocatur, solet is rogare ne sibi vincula aut manus injiciantur, velle se ultro sequi, quocumque vocasset judex. Cur non idem facimus Deo, cui multo adhuc minus possumus resistere? Secundo, idem cogita de afflictionibus imminetibus cum malum tibi inferendum vel bonum auferendum metuis; cogita, inquam, non posse tibi quidquam contra Dei voluntatem accidere. Vult te Deus castigare? Non poteris obsistere. Vult te exaltare vel ditare? Non poterunt alii obsistere, et ita in aliis. Sanctus Wolstanus episcopus erat sanctæ vitæ, quem cum invidi quidam episcopatu cedere velut minus eruditum coegissent, ipse pedum episcopale depositurus, lapidi infixit et abiit. Sed cum plures accedere et pedum tollere (tamquam successuri in episcopatu) jussi, id eximere non possent, utpote durissimo lapidi pertinaciter infixum; jussus tandem Wolstanus repetere pedum suum, nulla mora id extraxit ac recepit, ut in ejus vita 19. januarii. Omni sua potentia et astutia non potuit Herodes e medio tollere Christum infantem: nec Judæi suis insidiis eundem neci tradere, antequam ipsemet vellet; nam et per medium illorum ibat, cum eum præcipitare vellent: et alias cum gestirent eundem lapidare, quietus inter eos docuit, *quia nondum venerat hora ejus*, nondumque id a Deo decretum erat. Nec Saul omnibus suis machinationibus potuit comprehendere Davidem, hominem privatam toties sibi obvium et quæsivum cunctis diebus, quia scilicet *non dedit eum Deus in manus ejus*, ut dicitur I. Reg. XXIII. Unde colligimus sine Dei voluntate neminem nobis nocere posse.

E contra tua voluntate Deo resistendo, quæso quid efficies? Lacedæmonii cum domi invicti essent sub Lycurgo legislatore suo, eo defuncto, statim adversus Tegeates se ducere voluerunt; cumque compedes secum vincendis iis portassent, ipsi ab illis victi et vincti abducebantur,

Maiol. Canic. tom III. coll. II. Quid effecit C. Caligula imperator, qui iratus cœlo, quod turpidius suis pantomimis et spectaculis officeret, Jovem ad pugnam provocavit, imo ad duellum internecinum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te*, Corn. a Lapide. in c. IV. Amos. Nonne Dominus, Amos IV. ait: *Hæc faciam tibi Israel*; (id est, gravissime castigabo) *postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel*, q. d. resiste mihi si potes, ictum dexteræ meæ excute vel declina (*præparare ut ad-verseris Deo tuo*, vertunt Aquila et Symmachus.) Quare sicut rideretur veluti insanus, qui in cymba ad rupem alligata stans, vellet ad se rupem trahere, cum ipse potius ad rupem, non rupes ad ipsum accedat: ita etiam insanit, qui Dei voluntati resistere eamque ad suam trahere vult; cum interim ad ipsam, veluti ad rupem firmissimam trahatur. In omnibus ergo actionibus suis dicat unusquisque: Si Deus, vel sicut Deus voluerit, agam, etc. Narrat Hebræus scholiastes, apud Nicol. Serarium, in capite IV. epistolæ S. Jacobi, fuisse quemdam, qui diceret, se postridie fructurum sponsæ amplexibus; cui dixerunt amici, ut adjiceret: *Si Deus voluerit*: ille vero: *Volente nolente Deo*, inquit, *cras in sponsæ meæ amplexus veniam*. At sub noctem, dum cubitum it, repente tam ipse, quam sponsa moritur. Et hinc Bensiræ natum adagium, ut aliquid facturi, prius dicant: *Si Deus voluerit*. Unde in illius proverbii hoc legitur: *Sponsa conscendit thalamum, sed nescisse quid sibi eventurum sit*.

II. Quia est rectissima, adeoque regula absolutissima et ineffabilis omnis justitiæ, sanctitatis et rectitudinis. Ideo ejus pedes sponsa vocat columnas. Ut enim columnæ sua rectitudine sustentant ædificium, quod nequaquam sustentare possent, si inclinatae essent: ita voluntas Dei æquissima totum regit ac sustentat orbem. Ad illam ergo regulam seu columnam aptanda voluntas et actiones nostræ. Voluntas Dei quasi lingula trutinæ est, quæ ut juste ponderet, semper recta sursum tendere debet. Hinc Sapient. XI. dicitur: *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum*; quia scilicet orbis terræ et quæ in eo sunt omnia non solum ad nutum ejus reguntur, ut quocumque inclinari ab eo possint, verum etiam qui ad lingulam voluntatis ejus rectissime regulari et dirigi debent. Voluntas Dei horologium est mundi hujus primarium, ad cuius normam et directionem omnia secundaria et minora accommodari debent. Lex est summi, sapientissimi et justissimi Dei; quidquid ipse vult, æquum est et rectum. Quis ergo ad hanc columnam, trutinam, horologium, legem se non

conformabit? Quando mater familias hypocaustum reperit plus æquo calefactum, ut pene videatur esse balneum: primo quidem stomachari incipit et bilem in ancillam effundere. At si ancilla respondeat: Ne indigneris domina; ita imperavit herus, mox iram domina remittere et calorem illum immoderatum quo animo ferre; quia ab imperio mariti domini sui prodiit: sic omnis finitur pugna. Tanti fuit ea vox: Herus ita voluit! Cur ergo nos non eodem modo acquiescimus summi orbis patrisfamilias voluntati et imperio? Quidquid nobis adversum contingit, etiamsi fiat mediantibus aliorum peccatis, Dei jussu et ordinatione contingit: sola peccata nostra non imperat, nec vult Deus. Quid igitur irascimur? Quid obnitimur et recludamur, cum vel adversa nobis veniunt, vel amoveri a nobis nequeunt? Deus et Dominus noster ita jussit, ita ordinavit. Ita se composuit ad animi tranquillitatem Heli sacerdos, cum divinæ in se correptionis sententiam audivit, I. Reg. III. respondit enim dignum sacerdote verbum: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*. Ita et Ezechias rex, cum audivit a Deo puniendam vanitatem suam, hostium irruptione et thesauri quem eis ostenderat, direptione; acceptavit æquo animo vindictam, dicens: *Bonum verbum Domini, quod locutus est*, Isai. XXXIX. Ita etiam David rex, quando eum fugitivum maledictis pariter et lapidibus Semei impetiit, ideoque servi eum defendere et Semei caput amputare volebant, cohibuit eos dicens: *Dimittite eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* II. Reg. XVI. « Prorsus vir secundum cor Dei, (ait S. Bernard. serm. XXXIV.) qui de corde Dei ferebat sententiam, sæviebat lingua maledica, et ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. » Impudens et malesanus foret, qui cum Deo expostularet propterea quod fruges grandine protriverit, quod turre et quercus fulmine disjecerit, etc. Eodem modo vecors esset, qui indignari vellet et irasci Deo, quod per homines ab eo castigetur; vel in homines, per quos punitur, sævire. Insaniisset David, si lapides in se projectos, ad instar canis morsu appetiisset. Semei maledicens hujusmodi lapis fuit, in ipsum a Deo projectus. Noluit autem scire David, cur hoc lapide impetitus esset; satis illi fuit, projectum esse a Domino et Deo suo. *Dominus*, inquit, *præcepit*. Diabolus fuit qui quæsit: *Cur præcepit vobis Deus ne comederitis ex omni ligno? etc.* Gen. III. Bona utique erat arbor illa scientiæ boni et mali; sed noluit eam tangi Deus, quia voluit obedientes homines. Ecce hoc? Quia ipse Dominus, hi servi erant. Bo-

nos igitur et morigeros sese ostendunt ii, qui in Dei voluntatem omnia sua resignant, quemadmodum ingenui filii, qui spe recreationis sibi a parente facta, non illico se effundunt, lieros abjiciendo et pilam pro iis arripiendo, sed respondent: Sicut domino parenti placuerit, etc.

E contra nostram voluntatem si faciamus, quæso quorsus veniemus? *Cogitationes mortalium timide*, ait Sapiens, Sap. IX. *et incertæ providentiæ nostræ*. Quisquis enim suam non Dei voluntatem sequitur, perinde agit, ac si ædificet murum seu domum absque regula seu amussi. Tale enim ædificium multis in partibus distortum adeoque fragile sic necesse est.

Ergo sicut murarii, quoties unum alterumve lapidem muro adjiciunt, toties regulam ei applicant: ita faciamus nos; regula est Dei voluntas. Hanc applicemus omnibus nostris actionibus et orationibus, ne alioquin audiamus: *Nescitis quid petatis vel agatis. Medicus quidem*, ait Tullius, *ingravescentem morbum ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator, et tamen ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine ratione opinantur*. Ad malum potius quam ad bonum pronas est voluntas humana (in statu naturæ corruptæ) si sibi permittatur. Intellexit hoc B. Gertrudis virgo, cui aliquando apparuit Christus una manu sanitatem, altera morbum præ se ferens, dansque ei optionem, alterutrum, quod placuisset eligendi. Quid hic virgo faceret? Sanitatem eligeret? Impudentiæ daretur. Morbum præriperet? Nimis modestiæ adscriberetur. Itaque neutrum eligere statuit, sed plicatis in crucem manibus et genua procumbens: *O mi Domine*, inquit, *volo ut non meam, sed tuam attendas voluntatem, ego ad utrumque parata neutrum eligo: tuum est dignoscere utrum vel illud mihi relinquas*, Ludov. Blosius, in monil. spirit. c. XI.

III. Quia est benignissima et paterna, omnia ad salutem nostram quam optime disponens. Omnia enim quæ nobis a Deo veniunt (etiam cruces, ærumnæ, tormenta) non solum ut a potentissimo rege, verum etiam ut ab amantissimo patre ad commodum et utilitatem nostram ordinata sunt. Sola damnatorum supplicia ad meram ipsorum vindictam destinantur: cætera vero bona ad majus bonum, tam malorum quam bonorum, salutemque spiritualem, sicut testatur Judith, cum ait: *Fragella Domini quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus*, Judith. VIII. Ideo pedes Domini seu columnæ illæ dicuntur a sponsa fundatæ super bases aureas, amoris videlicet erga nos paterni. Multa quidem nobis et circa nos contingere videmus quæ existimamus

fieri meliora potuisse; velut cum tempestas displicet, cum fruges et vites damna patiuntur, cum inundationibus agri et domus vastantur, etc. Verum si eorum radices, fines, circumstantias, ordinem, et harmoniam, quam habent cum totius vitæ hominis decursu, ac denique cum totius mundi dispositione et regimine cerneremus, contrarium sane diceremus. Unde verissime dixit Epictetus, ac prorsus christiane, tametsi alioqui gentilis: *Ignavissime homo, aliudne expetis, quam id quod melius est? Num vere aliud quidpiam melius, quam quod visum Deo fuerit?* Huic consonat Ecclesiasticus, cap. II. qui propterea filium accedentem ad servitum Dei monet: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe*. Quid enim tibi poterit manus tui amans et sapiens imponere, quod tibi non conveniat? Rex cœli pater tuus est, sapiens est, bonus est, omnia potest. Cur in te permittat nisi quod e re tua sit? Sane Alexander Magnus ægritudine correptus oblatam sibi a Philippo medico suo fidissimo potionem medicam bibit intrepidus, tametsi aliunde a fido etiam amica monitus per litteras fuisset, Philippum auro a Dario corruptum, ut veneno ægotantem tolleret, indeque post triduum convaluit, ut scribit Curtius, I. III. cap. X. Cur non infinities magis fidamus Domino Deo, optimo nostro parenti et animarum medico? Cur non ab ejus manu omnia acceptemus velut salutifera, et nequaquam noxia? Propinaverat Christo Pater perquam sane amarum passionis calicem, pro salute nostra exhauriendum. Quem cum Petrus suo gladio amoliri conaretur, quasi Christo noxium et exitiosum, corripuit eum Dominus dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* q. d. cum a Patre meo calix iste mihi paratus et oblatum sit, tu mihi eum noxium fore putas? Joan. XVIII. Idem respondeamus nos, cum vel aliorum suggestionibus, vel a nostris passionibus retrahi nos sentimus ab amplectenda Dei voluntate, etiam rigida et amarulenta.

Alioquin e contra, si nostram potius quam Dei voluntatem sequi voluerimus, male nobis consulemus et deteriorem semper partem eligemus. Exemplo sit S. Franciscus Borgias Gandiæ dux, qui cum conjuge Leonora octodecim annis mira concordia vixit. Egrotante illa, pro salute ejus non ipse solum precari sedulo, sed etiam aliorum preces implorare cepit. Solus aliquando cum oraret in conclavi Carymans, vitam conjugii postulans, visus sibi est audire vocem interiorum, quæ diceret: *Uxorem si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat: sed tibi non expedit*. Turbatus hac voce Franciscus, quam Dei vocem esse minime dubitabat, vidensque tacite se redargui,

rursus in lacrymas solutus, has ex imo pectore voces protulit: *Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim rectius novit, quid e re mea sit, quam tu, mi Deus? Tua itaque voluntas fiat, nec de uxore sciam, sed de liberis etiam deque me statuas, rogo quidquid tibi placuerit: fiat voluntas tua.* Observatum est autem eo tempore conjugis morbum statum quemdam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, deteriusne an meliuscule haberet; post has vero preces ad desperationem laborare cepisse, Franc. Scotus, in vita Borg. l. I. c. XII.

Videmus igitur rectius et utilius non posse nos orare, quam cum hodierno leproso: *Domine, si vis, potes me mundare, juvare, sanare, etc.* committendo videlicet divinæ voluntati nostras petitiones. Sic legitur quidam patrum in oratione tantum dixisse: *Fili Dei, sicut vis et sicut scis, miserere mei*, apud Rabanum et Serarium, in c. VIII. Judith. Ita fiet ut voluntati nostræ se accommodet Deus, quemadmodum fecit leproso, mox assentiendo: *Volo, mundare, etc.*

## CONCIO III.

## CONFESSIONIS NECESSITAS OSTENDITUR.

I. Exigitur in lege naturæ. — II. In lege scripta veteri. — III. In lege nova. — IV. Ab ipsa ratione et natura. — V. A testimoniis sanctorum.

## THEMA.

Vade ostende te sacerdoti. Matth. VIII.

Gravissimum et difficillimum, quod obtingit Christianis, videtur esse peccatorum confessio, quam proinde hæretici nostri temporis exterminare maluerunt, et persuadere hominibus, non esse Dei præceptum, sed commentum et inventum humanum. Verum deberent inter alia hi expendere quod ea potissimum de causa mittere consueverit Dominus leprosos ad sacerdotes: quia nimirum lepra typus peccati est, et sacerdotes veteres, quibus iudicium lepræ commissum, typus confessariorum. Sed quoniam hoc parum movet adversarios, fortioribus tormentis eos agrediemur.

I. Confessio exigitur in lege naturæ. Intra paradysum, quando ait Deus Adamo, Gen. II. *Adam ubi es?* « Interrogat, ait Eucherius, ut suis quisque convineatur responsionibus. » Glossa ibid. ait verba illa Dei fuisse non ignorantis, sed ad confessionem cogentis. Rursum quando ait Evæ;

*Quare hoc fecisti?* quid enim his voluit Deus, nisi ut homo in principio accusator sui sit? Extra paradysum, Gen. IV. *Ubi est Abel frater tuus?* Ubi Ambrosius ait: « Interrogat Dominus Cain de fratre, ut moveret eum ad confessionem. » Et priusquam ille cædem patraret: « Cur iratus es et concidit facies tua? » Et tertio: *Quid fecisti?* Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, q. d. ego tibi peccatum tuum confitebor, quia tu non vis. Quinetiam apud gentes vestigium aliquod confessionis reperitur. Apud Lacedæmones, teste Plut. in Lacon. n. CCCXXII. deprehensi in delicto cogebantur aram circumire, et compositam in seipsos vituperationem cantare. Apud Indos occidentales in provincia Nicaragua reperti sacerdotes gentiles, confessionibus audiendis et penitentibus imponendis destinati, quibus etiam revelare peccata, et uxores ducere nefas erat. Testatur Josephus Acosta, de procur. Ind. salute, cap. XII. Habent et Mahumetani confessionis modum nonnullum. Quibus adde, quod Seneca, libro de moribus ait: *Ubi est confessio, ibi est remissio.* Pythagoras aiebat peccata non esse verbis tegenda ut reprehensionibus eurentur. Aristoteles dicebat, non multum ab impeccabili distare, qui peccatum ut decet confiteretur, ut scribit Maximus, serm. de confess. Rursum Seneca, ad Luc. ep. LIV. « Somnium ait, narrare vigilantis est, et vitia sua confiteri sanitatis indicium est. » Viderunt ergo gentiles æquum et laudabilem esse fateri sua delicta.

II. In lege scripta veteri Num. V. ubi dicitur: *Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, etc.* Item Levit. VI. *Convicti delicti, etc.* et Levit. XXVI. *Donec constentur iniquitates suas.* Rursum Levit. VI. *Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut male vel quid faceret, etc. agat penitentiam pro peccato, etc.* ubi Hebr. et Chald. habetur: *Confiteatur peccatum in quo peccavit.* Unde Hebræi tradunt ibi specialem requisitam fuisse formulam confitendi: nimirum ponendo manus inter cornua victimæ exprimendo peccatum suum, dicendoque: *Obsecro Domine, peccavi, inique egi, prævaricatus sum, sic et sic feci: ecce penitet me, et pudet me operum meorum: nunquam revertar ad rem istam.* Traduntque nihil profuisse sacrificia, nisi adhibita hac confessione. Refert Genebrardus ex Rabinis, in II. Reg. XII. Ferunt etiam Hebræos in hodiernum usque, festo expiationis hanc confessionem facere, et loco satisfactionis plagas sibi imponere. Josephus item Judæus, l. III. antiquit. c. X. ait: « Qui sciens

peccavit nemine conscio, arietem offert lege ita jubente, et is qui peccat, jubetur adire sacerdotem et peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries deligatur, et ipse pro peccatore oret. » Certæ item victimæ pro certis offerebantur peccatis, juxta mensuram et æstimationem peccati, Levit. VI. V. IV. Habuerunt ergo et Judæi suam quamdam confessionem, etsi minus perfectam.

In eadem lege confessio præfigurata est primo, III. Reg. XVIII. Ubi Elias sacrificaturus Domino et oblaturus holocaustum, composuit altare et disposuit ligna super illud; mox, mactavit et divisit membratim bovem, et super altare posuit: deinde, aqua perfudit bovem et ligna, factumque ut ignis descenderet de cælo, et devoraret holocaustum, ad indicandum fuisse gratum Deo. Altare extruit et ligna componit, qui ad confessionem se exacte præparat, et peccata quæ infernali incendio materiam alioqui præbent, in unum cogit: bovem mactat et concidit, qui peccata sua minutatim in confessione exponit; aquam effundit, qui confessioni contritionem jungit. Ita fit ut holocaustum hoc, id est, peccata devorentur ab igne gratiæ cælestis, quæ in peccatorem descendit, eumque flamma charitatis accendit.

Secundo, in lepræ discussione, Levit. XIII. et XV. Cujus iudicium penes sacerdotes veteres erat. Unde Thodoretus, qu. XV. in Levit. « Quemadmodum, ait, sacerdos lepram discernit, ita peccatorum animæ iudicem ipsum esse oportet. » Debebat ex lege Levit. XIII. leprosus contaminatum ac sordidum se clamare, et quid aliud facit peccator, cum de peccatis se accusat?

Tertio, in tabernaculi introitu erat lavacrum de speculis mulierum, Exod. XXXVIII. ut introeuntes prius se in iis contemplarentur et maculas eluerent. Vir considerat se in speculo et ablit, non eluit maculam sicut mulier: sic ante communionem confessio adhibenda. Prætereo alias plures hujus rei figuras.

III. In lege scripta nova, in qua dispositio primo, ad confessionem facta est a Joanne Baptista, ad quem veniebant Judæi confitentes peccata sua; non utique in genere tantum, dicendo se peccasse, sed in specie singula, saltem graviora: hoc enim est confiteri peccata sua.

Deinde, a Christo Domino aperte instituta est et præcepta, quando apostolos iudices et medicos peccatorum ordinavit, dans eis potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi, Joan. XX. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Nemo autem remittere aut retinere

peccata potest, nisi ea prius cognoscat. Quod si nemo teneretur confessariis Christi ministris peccata sua exponere, frustra imo stulte dedisset Dominus illis hanc potestatem. Si enim quispiam rex daret alicui potestatem in regno suo iudicandi subditos, condemnandi, absolvendi; subditi autem non tenerentur coram illo comparere et respondere de causis suis, nonne vana et ridicula foret hæc potestas? Ergo frustra et ridicule dedisset Christus eam potestatem apostolis, si nemo teneretur illis confiteri. Atqui Deus et natura nihil frustra agunt vel Aristotele teste, l. III. de anima. Unde Conc. Trid. sess. XIV. c. III. anathema dicit illis, qui aliter hæc verba intelligunt et torquent. Quare (ut recte arguetur S. Aug. I. L. hom. XLIX.) « Ne quis sibi blandiatur et dicat: Occulte apud Deum (penitentiam) ago: novit Deus qui mihi remittit, quæ in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveris in terra, erunt soluta et in cælo? Ergo sine causa datæ sunt claves Ecclesiæ? » Sic ille. Quod si Christus tantummodo dixisset: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, forsitan dici posset, satis esse, confiteri in genere se peccasse. Sed addidit: *Quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo sciendum est, quid retineri debeat, v. g. dicit aliquis se adulterum fuisse, remittetur ei. Sed si dicat, se adhuc esse et fore, retinebitur. Ad hæc dici nequit, confessionem ab Ecclesia aut pontificibus primum institutam. Quomodo enim tam onerosam rem propria auctoritate instituere potuissent? Quomodo regibus et imperatoribus rem tam difficilem persuadere? Deinde quis, quando ubi eam instituit, si Christus non instituit? Certe ejus usus in Ecclesia semper fuit, ejusque meminere Acta apostolorum, epistola Jacobi et Joannis, Clemens, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, etc.

Adumbravit eandem Christus in evangelio, cum in suscitatione Lazari dixit discipulis: *Solvite eum*: et in solutione asinæ: *Solvite et adducite mihi.* Et cum leprosos misit ad sacerdotes, in quibus figurate insinuat principalem causam absolutionis esse Christum juxta id Lucae V. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Instrumentalem vero esse apostolos et sacerdotes.*

Hinc patet, sicut natura ab imperfectiori progreditur ad perfectius, ita progredi et Dei leges. In lege naturæ sufficiebat Deo quomodocumque confiteri peccatum suum; in lege veteri scripta plus requirebatur, major specificatio, quia juxta varietatem peccatorum variæ offerendæ erant hostiæ, vitulus pro peccato ignorantiae, par turturum pro offensione proximi, agnellus pro juramento faciendi aliquod malum: unde statim